

lum mireof. si.

et dep̄cibuntur
terent. t̄ quid

Oblito dno ri
dicundi nos p̄

rran, sc̄m ac̄p̄

D̄pletis sumus.

R̄p̄t̄ q̄st̄ c̄d̄

D̄multitudin̄

tūi tibi p̄t̄

p̄igmentis effec̄

N̄VBLAVIT M̄C̄

exindam cum r̄p̄t̄ c̄d̄

S Q V I E C C

quidm̄q̄c̄

miliq̄ tuq̄. ut

hoc bonis op̄r̄i

L S H o r t a n u

T recipiat. N

et in die s̄litutis

bile. ecco nunc

s̄ionē. ut non ad

nibus exhibemus

multa patientia

angustias. impli-

lōberibus inuid

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31

et quia generaliter dixerat: spontaneum holocaustum aut pacifica uoluntaria domino, nec apposuerat taurum siue uitulum, arietem uel ouem, hircum que pro peccato, docet quid sit ipsum holocaustum: agnum, inquiens, anniculum immaculatum faciet holocaustum; et non certis diebus, sed: cotidie; nec qualibet alia hora, sed: mane mane faciet illum: per singula uidelicet 'mane', quando, orto sole, lucis exordium est - de quo 'mane' dauid loquitur in psalmo: mane exaudies uocem meam.

mane assistam tibi, et uidebo, et in alio loco: ad uesperum demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia, et iterum: deus, deus meus, ad te de mane uigilo.

qui sit autem iste agnus immaculatus siue perfectus, et anniculus, esaias plenius docet, dicens: sicut ouis ad uictimam ductus est, et sicut agnus in conspectu tondentis se, sine uoce et non aperiens os suum, et hieremias: ego autem sicut agnus innocens ductus ad uictimam non cognoui, et ioannes euangelista: ecce agnus dei qui tollit peccatum mundi; iste agnus qui immolatur in aegypto et de cuius sanguine armantur postes fidei, et exterminator excluditur; anniculus autem, quia: praedicauit annum domini acceptabilem, diem retributionis.

nec miretur lector si idem et princeps est et sacerdos et uitulus et aries et agnus, cum in scripturis sanctis pro uarietate causarum legamus eum dominum et deum et hominem et prophetam et uirgam et florem et radicem et principem et iudicem et regem iustum et iustitiam, apostolum et episcopum, brachium, seruum, unguentum, pastorem, filium et puerum, unigenitum et primogenitum, ostium, uiam, angelum, sagittam et sapientiam, et multa alia, quorum omnium si uolueremus testimonia dicere, proprio libro indigent -. in holocausto itaque istius agni immaculati et anniculi qui mane semper offertur: faciet ipse princeps sacrificium (siue 'manaa', et similam siue donum) mane sextam partem 'oephi', subauditur similae - sexta autem pars 'oephi' dimidius modius est; si enim 'oephi' decima pars 'cori' est, id est tres modii, nulli dubium quin sexta pars 'oephi' dimidium faciat modium -. de oleo quoque mensurae 'hin' tertia pars offertur, ut misceatur (siue aspergatur) similae; sacrificium domini legitimum, iuge atque perpetuum, quod nulla intermittitur die sed omni tempore, orto sole, semper offertur, ut impleatur quod in fine capituli huius ponitur: faciet agnum in sacrificium et oleum mane mane, holocaustum sempiternum.

F. Glorie, CC 75 (1964)

Hieronymus - Commentarii in Ezechielem
 CI. 0587, lib. : 14, cap. (s.s.) : 46, linea : 704 [*]

Ezechiel
 haec dicit dominus deus: si **dederit** princeps (siue dux) donum alicui de filiis suis, hereditas eius filiorum suorum erit, **possidebunt** **eam** hereditarie.


sin autem **dederit** legatum de hereditate sua uni seruorum suorum, erit illius usque ad annum remissionis (pro quo theodosio ipsum uerbum hebraicum posuit deror), sed reuertetur ad principem; hereditas autem eius filii eius erit.

et non accipiet princeps de hereditate populi per uiolentiam et de possessione eorum, sed de possessione sua hereditatem dabit filii suis, ut non dispergatur populus meus unusquisque a possessione sua.

huc usque sermo de principe; nunc de heredibus eius praecepta tribuuntur, immo de donis, hereditate atque legatis, quibus dare debeat et quorum sit uel ad tempus uel aeterna possessio.

'si' inquit 'filiis suis **dederit** uel donum uel hereditatem, ipsi **possidebunt** **eam** , quia eis successionis iure debetur et de alio ad alium non potest transire possessio; sin autem **dederit** uni seruorum suorum legati nomine, tamdiu habebit possessionem quamdiu uel septimus annus remissionis, qui dicitur deror, uel iubilaeus, id est quinquagesimus, adueniat, quando omnis emptio atque donatio reuertetur ad priores dominos: ita ut seruus usum habeat pro tempore, et proprietatem possessionis filii principis'.

quod autem sequitur: et non accipiet princeps de hereditate populi per uiolentiam (siue, ut septuaginta transtulerunt, ut opprimat eos uel, ut aquila et symmachus, affligat eos atque contristet), sed de possessione sua hereditatem dabit filii suis, suggillat non solum illius temporis sacerdotes et principes, sed nostri quoque, qui ditiores fiunt sacerdotii dignitate et, praeter ea quae sibi domini dispositione debentur, tollunt a pauperibus per uiolentiam, uel sub honoris nomine diuites spoliant, ut ipsis quoque filiis suis, quibus paterna debetur hereditas, nihil debeant derelinquere, nisi quod sibi a parentibus derelictum est; ergo qui ditior est sacerdos cum uenit ad sacerdotium, quidquid plus habuerit non filiis debet dare sed pauperibus et sanctis fratribus et domesticis fidei qui uincunt merita liberorum, ut reddat ea quae domini sunt domino suo - qui loquitur in euangelio: quidquid uni istorum feceritis, mihi fecistis; ipse enim in pauperibus suscipitur hospitio, uisitatur in carcere, nudus tegitur, sitiens bibit, saturatur esuriens -: ut non dispergatur populus meus a possessione sua: si enim licentiam habuerit princeps uel accipere uel rapere uel sub figura honoris tenere quae non sunt sua et liberis derelinquere, populus qui in nomine dei fuerat congregatus dispergetur in partes atque lacerabitur, siue, iuxta legem, paulatim alterius hereditas transeat ad alium et pereat funiculus divisionis per quem forte ad unumquemque uenit hereditas; dispergit ergo populum dei et aufert ab eo possessionem fidei sempiternam, qui aliena bona, uel rapina uel adulacione uel blanditiis uel praetexto religionis, filiis fratribus que et consanguineis derelinquit.



8415.tif = GBN 2002



8416.tif GBN 2002



8418.tif



8420.tif

Heilbronn, Stadtb. GB M 2002